



Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

22. Cathedra S. Petri Antiochensis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

XXII. Februarii. Cathedræ S. Petri. 233

Festum Cathedræ S. Petri Antioch.

EXHORTATIUNCULA I.

HÆc dies, quam fecit Dominus pro gloria, & lætitia Nominis Christiani. Hodie S. Petrus primâ vice à fidibus renuntiatus est Vicarius Christi, & Pastor optimus Christianorum. Gratulemur Romanæ Ecclesiæ ! gratulemur & nobis, quia hujus vivimus electi filii, & discipuli ! Quid potuit vineæ suæ facere Deus, & non fecit ?

Instructio meritoria.

Probemus nostram gratitudinem pro beneficio vocationis ad fidem catholica-
cam per triplicem visitationem ecclesiæ.
In prima recitemus officium SSS. Tri-
nitatis. In secunda symbolum S. Atha-
nasii : *quicunque vult salvus esse.* In
tertia pro augmento ecclesiæ, extirpa-
tione hæresum, & pace ac concordia
Christianorum Principum i. s. Pater &
Ave cum Credo. Pietate, & orationi-
bus exaltatur Dei Ecclesia.

II. O

II.

OFili! sub quām sancta vivimus Ma-
tre! Christus, Caput ejus, sanctus
est. Sancti sunt ejus fundatores. Do-
ctrina, cæremoniæ, sacramenta illius
sancta sunt omnia. Quām multa insu-
per ad sanctitatem nostram tum exem-
pla, tum incitamenta! & hæc quoti-
diana. Filii Ecclesiæ sumus: sed digni-
matre tantâ?

Instructio meritoria.

Ut simus, imitemur primos Christia-
nos, quorum totum vivere erat, vigi-
lare inter orationes, & dare eleemosy-
nas pauperibus. Utrumque & nos pra-
stemus, recitando graduales Psalmos, &
petentibus, quæ justa, & sancta sunt,
nihil negandô, sed potius renuentem
voluntatem egregiè mortificandô. Sta-
bit bonis exemplis, & multis precibüs
pia Mater, Romana Ecclesia.

III.

Memento, ait S. Leo, *cujus capitū,*
& cujus corporis sis membrum.
Memento; sed ad puritatem, & sancti-
tatem vitæ. In his enim virtutibus co-
gno-



gnoscent omnes, quia discipuli, quia
fratres sumus Christi, & genuini Eccle-
siæ filii. Taliter si & mori cupiamus,
toti mundi, & perfecti vivamus in hoc
sæculo.

Instructio meritoria.

Ecclesiis omnis debetur honor, & re-
verentia. In his duin oramus, cavea-
mus ab omni garrulitate, levitate, aut
futili, immodestâ curiositate. Quia ve-
rò multum delinquimus, supererogato-
rio Rosariô satisfaciamus cum 50. oscu-
li terræ. Templum Domini est! non
fiat spelunca vitiorum, aut levitatum.

Festum S. Mathiæ Judææ, ac
Oethiopiæ Apostoli.

EXHORTATIUNCULA I.

Sors Apostoli cecidit in Mathiam.
Sors Benedictini religiosi cecidit in
nos. Mathias opere, & sanguine im-
plevit sortis mensuram, & plenitudi-
nem; nos impleamus magno fervore,
ac spiritu Benedictinô. Filii! volumûs-
ne parem cum S. Mathia sortem posside-
re in cœlis? pari zelô apostolicô labo-
remus